



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Providentia Divina, Prædestinatione & Reprobatione.
Item de Fide Divina, ejus veritate, obscuritate & credibilitate

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. I. Generales effectus prædestinationis enumerat Apostolus ad Rom
8. Vocationem, justificationem & glorificationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73708)

dicens: si volumus dicere, quod æqualis est numerus salvandorum virorum, sicut & mulierum, solutum est argumentum: sed est quod non sint æquales in numero &c. Melius ad dictas quæstiones, & similes responderetur, quod sup. dixi: soli Deo cognitus est numerus electorum tam Angelo-

rùm, quàm hominum, virorum & mulierum, puerorum arque adultorum; quippe qui solus eos elegit. Et ad quid putas eos elegit? Principaliter ad gloriam seu supernam felicitatem & ad alia in ordine ad gloriam, de quibus instituitur

SECTIO QUARTA DE EFFECTIBUS PRÆDESTINATIONIS.

DE effectibus prædestinationis non idem sentiunt Scholastici Doctores: Quidam enim solam gloriam autumant esse ejus effectum; Alii solam gratiam; Quibusdam placet utramque gloriam & gratiam esse effectus; sed gratiam limitant ad solam justificantem; denique communis sententia est, & gloriam & gratiam quatenusque, ac omnia Dei beneficia, electis specialiter præparata, quibus ipsi perveniunt in vitam æternam, esse prædestinationis effectus. Sed hanc communem sententiam, quæ & nobis apparet verior, non eodem modo defendunt Auctores, ut ex progressu patebit. Dico ego Primum:

CONCLUSIO I.

Generales effectus prædestinationis enumerat Apostolus ad Rom. 8. vocationem, justificationem & glorificationem.

Effectum prædestinationis voco quicquid ab actu prædestinationis oritur, & in tempore ponitur in prædestinato, sive oriatur à prædestinatione, ut à causa efficiente, ut Quidam docent, sive à causa finali, ut Alii volunt: nam ab utraque causa procedere potest. Ita Felix sup. cap. 5. diffie. 1. n. 1. Hinc decretum dandi gratiam, & alia dona, ad consecutionem gloriæ necessaria, etsi oriatur ex decreto dandi gloriam, & consequenter dici possit effectus prædestinationis; tamen in præsentia de tali decreto sive effectu non agimus; sed tantum de effectu, qui prædestinato conferitur in tempore ex vi prædestinationis.

Ex quo patet, vocationem, justificationem, & glorificationem esse veros effectus prædestinationis, juxta illud Rom. 8. v. 29. Nam quos prædestinavit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. Ergo ex prædestinatione sequitur vocatio, justificatio, & glorificatio, atque in tempore prædestinato conferuntur. Quidni ergo sint veri effectus prædestinationis? Noli dubitare. Porro nomine glorifica-

tionis intelligitur ipsa gloriæ affectio. Nominis justificationis intelligit collationem gratiæ habitualis, & donum perseverantiæ in illa. Nominis vocationis intelliguntur omnia auxilia, quibus Deus hominem excitat tam ad fidem, quàm ad justificationem, nec non ad meritorie operandum; sive talis vocatio sit efficax, sive inefficax: de hac tamen est major difficultas; ut infra patebit.

Quin etiam vocationem efficacem videtur excludere ab effectibus prædestinationis Seraphicus Doctor S. Bonavent. 1. dist. 41. a. 1. q. 1. quando in corp. dicit: In prædestinatione tria intelliguntur. Primum est propositum æternum, secundum est temporalis gratificatio. Tertium verò æterna glorificatio. Et licet per gratificationem intelligi posset (ut notat Smising sup. n. 209.) & quicquid formaliter gratificat seu justificat, & quicquid ad gratificantem seu justificantem gratiam disponit ac præparat, prout præstat vocatio; non ita tamen posse intelligi D. Bonavent. colligitur ex eo, quod eodem loco docet, hominem de congruo mereri suam prædestinationem, quoad primum ejus effectum, nempe gratificationem, ibi: Gratificatio sub merito congrui potest cadere quoad ipsum gratificantem. Hoc autem intellectum de prima vocatione est error Pelagii, & Semipelagianorum, qui tanto Doctore impingi nequit. Quare (inquit Theod.) per gratificationem intellexit collationem gratiæ justificantis formaliter, ad quam homo se disponendo cum auxilio gratiæ, eam de congruo meretur, ut Sect. sequenti, ubi de causa prædestinationis, diffusius probabitur.

Rogas: quare D. Bonavent. excludat vocationem ab effectibus prædestinationis. Respondet Smising, probationem apud D. Bonavent. non invenio, nec aliqua mihi occurrit. Et eodem modo loquitur de sententia Nominalium, quæ non solum vocationem, sed etiam justificationem excludit, & docet, solam gloriam seu vitam æternam esse prædestinationis effectum proprie loquendo. Cujus sententiæ (inquit Theod. n. 208.) nullam ipsi afferunt probationem, nec video, quod fundamentum habere possit. Quod autem tantus Auctor non vidit, fateor me etiam non videre. Illud ergo expectabimus à doctioribus.

Interim si vera est (de quo non est dubitandum) descriptio prædestinationis tradita à S. Aug.

Quid per hæc tria significetur.

An S. Bonavent. ab effectibus prædestinationis excludat vocationem.

Smising.

Nominales etiam justificationem excludunt.

Probatur ita
vocatione,
quam ju-
stificatione
esse effectum.
S. Aug.

Idem ostenditur de glorificatione.

D. Aug.

S. Aug. lib. de Dono persever. cap. 14. *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quam præscientia & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Cur negabimus aut vocationem aut justificationem esse effectus prædestinationis? Nam sunt beneficia Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Et verò ipsa gloria æterna nonne est beneficium Dei, quo certissime liberantur quicumque liberantur? Quinimo est ipsa formalis liberatio, de qua sic loquitur D. Aug. lib. de corrept. & grat. c. 12. Beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim, non solum sine quo non fit; verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit.*

7.

Oppositum probatur.

Sed inefficaciter.

Felix.

Quæ ergo probatio sententiæ, negantis gloriam esse effectum prædestinationis? Quia, inquis, prædestinatio non est de fine, sed de mediis; gloria verò est finis, gratia est medium. Sed hæc (inquit Smiling sup.) videtur petitio principii: quod enim prædestinatio sit tantum mediis, æquè obcurum est; hoc ergo probandum est, & non supponendum. Probatur, inquis, quia providentia non est de fine, sed de mediis tantum, ut docet Felix de Provid. c. 1. diff. 3. n. 8. citans Suarium & alios; jam autem prædestinatio est pars subjectiva providentiæ. Respondeo: istud argumentum non premit nos, qui Sect. 1. Concl. 3. contra Felicem docuimus, providentiam esse decretum efficax tam finium, quam mediorum. Felix autem respondet (de Prædest. cap. 2. diff. 3. n. 5.) prædestinationem in intentione, & prout respicit gloriam, non esse partem subjectivam providentiæ.

8.

Prædestinatio respicit gloriam & gratiam, ex Scoto.

Affirmat hic Auctor ead. diff. n. 3. actum prædestinationis respicere gloriam & gratiam cum Scoto I. dist. 40. n. 2. *Ad istam questionem dico, quod prædestinatio proprie sumpta dicit actum voluntatis divinæ, videlicet ordinem electionis per voluntatem divinam alicujus creatura intellectualis vel rationalis ad gratiam & gloriam. Et 2. dist. 7. q. 3. S. Respondeo, n. 2. ait: Cum prædestinatio sit præordinatio alicujus ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam, quæ sunt vocatio, & justificatio, siue gratia tam actualis, quam habitualis. Id ergo noluit, & verò non potuit negare Felix, utpote verus discipulus Scoti; quin imò positivè probavit; tum ex Scriptura ad Ephes. I. v. 5. & 6. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Et ad Rom. 9. v. 23. *Ut ostenderet divitiis gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Item Act. 13. v. 48. *Et crediderunt, quotquot erant præordinati in vitam æternam.**

Probatur ex ex Script.

9.

Item ex auctoritate D. Aug.

Tum ex auctoritate D. Aug. de Prædest. SS. cap. 10. ibi: *Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratia est, ut dixi, preparatio; gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* Et lib. 15. de

Civit. Dei c. 1. ibi: *Quas etiam mystice appellamus civitates duas, hoc est, duas societates hominum, quarum est una, quæ prædestinata est in æternam vitam cum Deo.*

Probatur etiam ex ratione: nam prædestinatio est præordinatio, quæ prædestinatus mittitur in vitam æternam; sed perfecta missio non tantum respicit finem, sed etiam media; ergo prædestinatio non solum respicit gloriam, sed etiam gratiam. Sic ille, Quia tamen probè novetur, se non ita te negasse, providentiam esse de finibus, aut de mediis, & vide quid invenerit. Notandum, inquit, est, quod in Deo est duplex prædestinatio; una in intentione, quæ efficaciter respicit gloriam, dandam hominibus & ut finem consequendū per media; altera in executione, & est voluntas efficax Dei dandi hominibus gratiam & auxilia per media ad consequendam gloriam.

Ex quo intelliguntur Aug. alii Patres & Scotus; nam quando dicunt, prædestinationem respicere gloriam, intelligi debent de prædestinatione in intentione; quando verò affirmant, prædestinationem respicere gratiam, intelligi debent de prædestinatione in executione; quando verò affirmant utrumque respicere, ait Scotus citatus, intelliguntur de utraque prædestinatione, seu de prædestinatione complete. Neque intelligatis, quod prædestinatio in intentione non possit versari circa gratiam, sed solum dicimus, quod primò, ut gratia est medium, ut consequatur gloria, respicitur a prædestinatione in executione.

Noto etiam: quod prædestinatio in intentione aliquando vocatur à Patribus electio; non quia sit actus electionis, cum respiciat finem, nempe gloriam; sed quia tali intentione electus unus, id est, prædestinatur, & non alter. Hucusque Felix, ut ostendat, quomodo prædestinatio versetur circa finem, est de providentia solum sit de mediis. Unde etiam num. 5. negat, prædestinationem in intentione, & prout ut respicit gloriam, esse partem subjectivam providentiæ. Nam (inquit) speciei & parti subjectivæ debet convenire ratio generis; sed providentia solum est circa media, non circa finem; ergo prædestinatio in intentione, quæ est circa finem, non est species providentiæ. Prædestinatio verò in executione, & quæ respicit gratiam, pars subjectiva est providentiæ. Nam prædestinatio ut sic respicit media supernaturalia, quæ sunt species mediis in communi.

Ex quo patet, quod si gloria, quæ respicitur a prædestinatione in intentione, ordinatur ad alium finem, v.g. ad ostensionem attributorum Dei; tunc talis intentio gerit rationem providentiæ. Hæc tenus præfatus Auctor. Sublimo ego: atqui gloria Beatorum ordinatur ad alium finem: universa enim propter semetipsum operatur est Dominus, ut omittam particularem finem, scilicet ostensionem misericordiæ & justitiæ divinæ; ergo prædestinatio ad gloriam est pars subjectiva providentiæ.

Amplius dico: prædestinatio ad gloriam, etc.

iam sub ratione finis, est pars subjectiva providentiæ; & probat, quia, ut dixi Sect. 1. Conclus. 3. Providentiæ Dei est immediata & efficax tam finis, quam mediocrum. Estque, ut loquitur Conclus. 4. Intentio, & electio. Videantur ibi dicta, & nihil restabit hic solvendum. Et verò, sicut, secundum Felicem, prædestinatio in intentione etiã circà gratiam versari potest; quidni similiter prædestinatio in executione versari possit circà gloriam? Et si possint versari intentio circà gratiam, & executio circà gloriam, quidni de facto versentur? Non video quid obstat; eo semper salvo, ut illud, quod est primum in intentione, veluti est gloria, sit ultimum in executione, & quod est ultimum in intentione, quemadmodum est gratia, sit primum in executione.

19. Quæ cum ita sint, quis merito dubitare poterit de veritate nostræ Conclusionis? Ego, repono quidpiam; nam vocatio est communis reprobis & prædestinatis, juxta illud: Multi sunt vocati, pauci vero electi; & consimiliter justificatio, ut patet ex supradictis: nam qui hodie justus est, potest cras amittere justitiam suam, & mori in injustitia: nec solum potest, sed sæpius contingit illum mori, teste experientia quotidiana: ergo vocatio & justificatio nequeunt esse effectus prædestinationis, Respondetur neg. Consequentiam. Nam (ut bene notat Felix de Prædest. c. 5. diff. 1. n. 4.) vocatio in prædestinatis (idem est de justificatione) habet duplicem connexionem cum gloria; prima est; quia procedit à voluntate efficaci dandi gloriam: secunda, quod influat in affectionem gloriæ, quod non habet vocatio aut justificatio in reprobis.

16. Non ergo omnis vocatio aut justificatio est effectus prædestinationis; sed sola vocatio aut justificatio secundum propositum, ut bene notat D. Aug. de Prædest. SS. c. 17. dicens: Electi sunt itaque ante mundi constitutionem eâ prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præcivit: electi sunt autem de mundo eâ vocatione, quâ Deus id, quod prædestinavit, implevit: Quos enim prædestinavit, ipsos & vocavit, illi scilicet vocatione secundum propositum: non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit; nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit: illo utique sine, qui non habet finem.

17. Dicant nunc Aliqui, ex illis verbis Apostoli parum probari, gloriam esse effectum prædestinationis; convincitur, eos contradicere D. Augustino. Quis enim ille finis, qui non habet finem, nisi æterna beatitudo? Sed enim, reponunt, ut ut sit de mente D. Aug. alii SS. Patres Hieronymus, Gregorius, Chrysostomus &c. exponunt illud Glorificavit, non de gloria futura, sed præsentis vitæ, quam Deus justis suis præparavit, efficiens eos filios Dei, & præterea celebres eos, & famulos reddens passionibus & eumnis, pro Christo toleratis. Sic illi.

Verum hæc posterior expositio de celebritate famæ est contra Patres. Nemo enim (in-

quit Smil. sup. n. 214.) sic exposuit: sed solum Patres allegati illud, Glorificavit, exposuerunt de gloria adoptionis filiorum Dei per charismata & dona; à quibus donis non excludunt beatitudinem, quæ sicut est perfecta & plena hæreditas filiorum Dei; ita secundum illam perfectam & plenam eorundem adoptio intelligenda est. Quamobrem Paulus ibidem de hac perfecta adoptione loquens, de se & aliis justis præsentis vitæ, qui jam inchoatam quasi adoptionem sunt consecuti, ait v. 23. Intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes. Quos Dei filios cap. 9. ejusdem Epist. v. 23. vocat: Vasa misericordie, quæ preparavit (Deus) in gloriam.

Et cap. 8. cum bonum, ad quod adoptati sunt filii Dei, appellasset Libertatem gloriæ, v. 21. subdit v. 23. & 24. nos illam expectare cum redemptione corporis nostri, nosque illam sperare, & nondum videre. Hæc sunt verba Apostoli: Adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, qui sperat? De hac: igitur futura gloria intelligendum illud, Glorificavit, cum D. Aug. sup. & aliis Patribus.

Nonne Apostolus distinguit ibi glorificationem à justificatione? Clarum est, quod sic. Ergo per glorificationem nequit intelligi gloria præsentis justitiæ; sed debet intelligi gloria futuræ justitiæ, id est, gloria æterna. Secundò (inquit Smil. sup.) si intelligeretur de gloria præsentis, quæ consistit in celebritate famæ propter passiones & ærumnas toleratas, non esset illa Pauli sententia universaliter vera: non enim omnes vocati & justificati hanc gloriam passionis consequuntur, ut patet. Tertiò; loquitur de gloria per se debita justificatis, quod indicat series effectuum, quam ibi Paulus texit; illa autem gloria non est fama, sed gloria æterna. Denique; loquitur de gloria peculiari prædestinatorum, quæ nec est gloria famæ, nec gloria præsentis justitiæ: nam & reprobi, ut statim dictum est, ad tempus justis esse possunt, & sæpius sunt; & pro Deo ad tempus gloriosè pati, & aliquando patiuntur. Loqui verò Paulum de gloria peculiari electis debita patet ex contextu; præmiserat enim: Quos prædestinavit &c.

Rectè igitur D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. ante medium, ait Quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam; ubi expressè distinguit inter gloriam seu justitiam futuram, & justitiam præsentem. Et ibidem inquit: Omnia vocationis nostræ initia, & justificationis augmenta & glorificationis præmia in prædestinatione Deus semper habuit; ob hoc totum Deo assignat Apostolus dicens: Quos præcivit & prædestinavit. Ubi ex illo Pauli testimonio colligit, tam gloriâ, quam gratiâ, seu actualè, quæ intelligitur per vocationem, sive habitualement, quam significat justificatio, esse prædestinationis effectum.

Quod etiam de gloria indicat idem Apostolus 1. Cor. 2. v. 9. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec non cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt eum, usque in finem. Ubi (inquit

Non intellexit celebratam famam Smiling.

Ostenditur ex ipso Apostolo.

19. Intelligi debet de futura gloria æterna.

20. Probat per Primum

Secundò Smiling.

Tertiò.

Quartò.

21. Confirmatur auctoritate D. Fulgentii.

22. Itemque ipsius Apostoli.

Smiling,

(inquit Smil. sup. n. 215.) esse sermonem de preparatione gloriæ futuræ vitæ; patet; quia nec potest intelligi de gloria famæ, quam sibi conciliant patientes pro Christo; nam hæc omnium oculis & auribus patet: nec de gloria præsentis iustitiæ; quia Paulus id, quod ait oculum non vidisse &c. distinguit à præsentis iustitiæ, quæ est charitas erga Deum; habitualis, si loquamur de iustitiæ habituali; actualis, si de iustitiæ actuali, juxta Aug. lib. de Natur. & grat. c. 42. dicentem: ipsa (charitas) est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia. Vide eundem c. 70. ejusdem libri. Quod si id, quod ait Paulus oculum non vidisse, est quid præter iustitiæ hujus vitæ, non potest esse aliud, quàm gloria alterius vitæ. Distinguere autem Paulum illa duo patet ex contextu verborum; & quia significat unum esse præparatum tanquam mercedem alterius; nempe id, quod oculus non vidit ut mercedem præsentis charitatis & iustitiæ. Ita Theodorus.

D. Aug.

Apost. distinguit inter iustitiæ hujus vitæ, & gloriæ.

23.

Loquitur de efficaci præparatione gloriæ.

Deinde (prosequitur) quod loquatur, non de quacumque præparatione gloriæ futuræ; sed de efficaci & prædestinativa, probatur: quia aliàs nihil peculiare tribueret diligentibus Deum, cum etiam non diligentibus Deum sit illa gloria, quadam antecedente voluntate præparata, quæ Deus vult omnes homines salvos fieri. Et licet etiam reprobis subinde competat jus ad illam gloriæ secundum aliquam temporalem iustitiæ; non dicitur illis gloria simpliciter præparata juxta phrasim Scripturæ; & D. Aug. ac aliorum Patrum.

24.

Significat idem Apost. gratiam iustificationis esse effectum.

De gratia quoque iustificante, quod sit prædestinationis effectus, significat idem Paulus ad Ephes. 1. v. 4. dicens: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate. Ubi loqui illum de electione prædestinativa, patet ex eo, quod mox subdit: Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum: quæ adoptio simpliciter & perfecte convenit solis prædestinatis ratione gloriæ & hereditatis æternæ. Usque adhuc Theod. Nec obstat jam dictis, quod in Græco habeatur *ly magnificavit*, loco *Glorificavit*. Nam (ut omitam in vulgata Latina, nuper Pontificiæ auctoritate edita, emendatum id esse) debet intelligi de magnificatione secundum futuram gloriæ, & non secundum præsentem iustitiæ, & minùs de magnificatione secundum famam ac nomen, ut jam ostendimus.

Occurritur objectioni.

25.

Alia obiectio.

Contrà: dixerat Paulus, filios Dei hæredes esse regni cœlestis, si tamen compatiantur Christo, v. 17. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatiuntur (quod est ipsi conformes fieri, qui tot labores toleravit) ut & conglorificemur; id est, gloriosi & magni essemus cum ipso. Ergo loquitur Apostolus de gloria famæ propter passiones pro Christo toleratas. Respondet Smiling. sup. n. 217. conformitatem, & conglorificationem cum Christo potissimum & simpliciter consistere in gloria æternæ beatitudinis, juxta illud Joan. 1. cap. 3. v. 2. *Charissimi nunc filii Dei sumus*, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videmus eum sicuti est. Hanc itaque conformitatem, & gloriæ societatem intellexit Paulus, ad quam consequendam, docet, electis cooperari passiones pro Christo, qui & ipse per passionem intravit in gloriæ suam; licet in hoc sit discriminem, quod ipse sibi gloriæ essentiali non promeruerit, quemadmodum sibi ceteri merentur electi. Sic ille.

Solutio ex Smiling.

Instat aliquis: Paulus scribit ibi ad omnes fideles, qui non omnes erant prædestinati ad gloriæ æternæ: non ergo de prædestinatione æternæ gloriæ ibi loquitur. Respondet idem Auctor sup. si illud argumentum valeret, sequi nihil ex Pauli scriptis colligi posse de speciali providentia Dei circa electos; quia sub nomine electorum scribit ad omnes Christianos, cum tamen majorem partem testimoniorum ad differendum de speciali providentia Dei circa electos ad vitam æternam Aug. & alii Doctores ex Paulo acceperint.

Itaque ad formam argumenti respondeo, & omnes respondere debent, negando Consequens: quippe Paulus bene prælucet, & sperabat de omnibus, ad quos scribebat, quod essent electi ad vitam æternam, ita saltem, ut de nemine haberet causam desperandi: quo pacto etiam illud Joannis de omnibus fidelibus dictum accipi debet: *Charissimi nunc filii Dei sumus*. Et quod ait ibidem v. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*, id est, spe confidimus nos esse filios Dei, & per dilectionem translatos de morte ad vitam; & illud Pauli d. cap. 8. ad Rom. *Certus sum, quia neque mori, neque vitæ deo separabit nos à charitate Dei*. Ita Smil. sup.

Et addit: hujusmodi Scripturas explicari posse, ut intelligantur tacite involvere conditionem, nempe, si sint prædestinati ad vitam æternam illi, ad quos scribuntur ea, quæ solis conveniunt prædestinatis; ut cum dicitur: *Certus sum, quia nihil nos separabit à Charitate Dei*, subintelligatur; si ad finalem charitatem, adeoque ad beatitudinem æternam sumus electi. Unde præmiserat Paulus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos; & Quis accusabit adversus electos Dei?* Intellige electos ad vitam æternam, quos antea appellaverat sanctos, vocatos secundum propositum, & præscitos ac prædestinatos. Sic ille.

Itaque propter hæc argumenta non est recedendum à communi sententia, quæ æternam gloriæ agnoscit pro vero & proprio effectum prædestinationis; eisdem sit finis, qui (inquit Felix de Prædest. cap. 5. diff. 3. n. 3.) licet in intentione sit causa mediorum, in executione est causa finalis medicinæ, & effectivè provenit ab eadem medicina. Si ergo gratia & merita sint effectus prædestinationis, etiam gloria est effectus; cum quod est causa causæ, est causa causati, inquit idem Auctor sup. n. 2. Et rursum n. 3. ait gloriæ secundum esse reale apprehensum non esse.

esse effectum prædestinationis, sed obiectum illius, esse tamen effectum prædestinationis secundum consecutionem realem. Et forte (adit) solum primum voluerunt Auctores primæ sententiæ. Quæ utique negabat glorificationem esse effectum, eò quòd, ut sup. audimus, prædestinatio, utpote pars subjectiva providentiæ, non sit de fine, sed solum de mediis.

Sed nos alibi ostendimus, etiam de fine esse providentiam. Quid autem Felix ad hoc respondet, sup. quoque vidimus, scilicet, non esse partem subjectivam, quatenus respicit gloriam. Hic autem addit: quòd providentia circa alterum potest esse de fine; præcipue quando is, cui providetur, eget ope providentis ad consecutionem finis, sicut homo indiget ope Dei ad consecutionem gloriæ. Atque hæc satis de gloriâ. De vocatione superest aliquis scrupulus, ut purâ, quòd non omnes prædestinati vocentur, veluti patet in parvulis, qui incapaces sunt vocationis. Respondet Felix sup. diff. 1. n. 4. quòd non est de ratione effectus prædestinationis, quòd omnibus & solis prædestinatis conveniat; nam, inquit, sufficit, quòd procedat à prædestinatione. Addo, pueros vocari, licet non in seipsis, in eis, qui habent eorum curam, & ad Baptismum adducunt. Sic ille.

Finito, & dico cum D. Aug. de Corrept. & Grat. cap. 7. Quicumque ab illâ originali damnatione ipsâ divinâ gratiâ largitate discreti sunt, non est dubium, quòd & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiant credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt, & nonnulli, acceptis gratiâ, in quâlibet ætate periculis huius vitæ mortu celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eis, qui & elegit nos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiâ. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi; propter quòd dictum est: Multi sunt vocati, pauci verò electi: sed quoniam secundum propositum vocati sunt, propositi electi sunt per electionem, ut dictum est, gratia, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum. Itaque, secundum D. Aug. vocatio efficax Dei procedit à prædestinatione. Quidni ergo sit effectus prædestinationis? Non dubitare. Nunquid etiam vocatio inefficax? Jamjam edissero.

CONCLUSIO II.

Gratiæ ad proximum effectum inefficaces possunt esse in electis effectus prædestinationis.

Conclusione præcedenti n. 3. dixi, nomine vocationis intelligi omnia auxilia, quibus Deus hominem excitat tam ad fidem, quam

ad justificationem, nec non ad meritò operandum. Auxilium porrò duplex est, unum efficax, quòd consequitur effectum, propter quem proximè datur; aliud verò inefficax, quòd tali effectui frustratur: & quàmvis satis constet ex dictis, gratiam efficacem seu auxilium efficax esse verum effectum prædestinationis in electis, dubitatur atramen à multis de auxiliis gratiæ inefficacibus. Communiter enim (inquit Smil. sup. n. 226.) Recentiores, qui hoc punctum atigerunt, intelligunt debere esse efficaciam respectu effectus, propter quem proximè dantur; v.g. vocationem ad fidem, vel poenitentiam, ut sit effectus prædestinationis, debere esse efficacem respectu fidei suscipiendæ, vel poenitentiae agendæ, adeò ut, si huic non sortiatur effectum, non ad prædestinationem, sed ad communem providentiam gratiæ spectet.

Fundamentum est, tum quia nisi habeat effectum, ob quem proximè datur, nullum alium habebit salutarem effectum, ut patet in exemplo allato; quia si vocatio ad fidem non est efficax fidei, & vocatio ad poenitentiam non est efficax poenitentiae, ejus quæso est efficax? Quod si nullum habeat salutarem effectum, non est de numero illorum beneficiorum, quibus certissimè salvantur electi; atque ita non est de numero effectuum prædestinationis. Tum etiam; quia inter vocationes divinas solam illam vocationem Augustinus censet esse effectum prædestinationis, quam Apostolus nominat vocationem secundum propositum Rom. 8. ut patet apud Aug. lib. 1. ad simplicianum q. 2. & alibi; nam de sanctis vocatis secundum propositum mox subdit Paulus: Nam quos præseivit &c. Illam autem vocationem secundum propositum docet Aug. ita esse efficacem, ut infallibiliter veniant sic vocati; & ex vi talis vocationis non veniunt, nisi ad id, ad quòd vocantur; adeoque ad id, propter quòd proximè datur talis vocatio: ergo sola vocatio, quæ habet effectum, propter quem proximè datur, est prædestinationis effectus. Ita argumentatur Theod. pro hac sententiâ.

Sed nunquid ei adhæret? Minimè gentium: nam in principio n. 227. ait: Verum his non obstantibus, valde mihi placet sententia aliorum. Et quæ illa? Omnem vocationem sive efficacem effectus, propter quem proximè datur, sive non, posse in electis esse effectum prædestinationis eorum, quæ est Conclusio nostra, placetque etiam Felici suprà n. 6.

Probatur ex illo ad Rom. 8. v. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti, id est, prædestinati. Usque adeò (inquit S. Aug. de Corrept. & Grat. c. 9.) prius omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant; etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum; quia humiliores redeunt atque doctiores.

Sic David (hoc exemplo ibi utitur Aug.) quia filius erat promissionis, non perditionis, expertus, Deo paululum deserente, quid esset

efficax, & quòd inefficax.

An inefficax sit effectus prædesti-

33. Fundamentum opinionis negativæ. Prius.

Secundum.

Smiling.

34. Omnia vocationes sive efficacem, sive inefficax est effectus.

Felix.

35.

Probatur ex Scripturâ, adjunctâ auctoritate D. Aug. qui utitur exemplo David.

Q

iplet